



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLII. ad annum CCCCLXXX.

**Parisiis, 1644**

V. Quod gratia Dei praestet, vt lex impleatur; non (sicut ait Pelagius)  
facile, quasi sine gratia Dei difficilivs possit impleri.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14918**

III.

Item placuit, vt quicumque dixerit gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum Dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum valere, quæ iam commissa sunt, non etiam ad adiutorium, vt non committantur, anathema sit.

Cod. Can. cap. 111.  
Conc. Afr. cap. 78.  
De consecr. dist. 4. Placuit, vt quicumque dixerit.

IV.

Item, quisquis dixerit eandem gratiam Dei, per Iesum Christum Dominum nostrum, propter hoc tantum nos adiuuare ad non peccandum, quia per ipsam nobis reuelatur & aperitur intelligentia mandatorum, vt sciamus quid appetere, quid vitare debeamus, non autem per illam nobis præstari, vt quod faciendum cognouerimus, etiam facere diligamus atque valeamus, anathema sit. Cum enim dicat Apostolus: *Scientia inflat, caritas vero ædificat*: valde impium est, vt credamus ad eam quæ inflat, nos habere gratiam Christi, ad eam quæ ædificat, non habere: cum sit vtrumque donum Dei, & scire quid facere debeamus, & diligere, vt faciamus; vt ædificante caritate, scientia non possit inflare. Sicut autem de Deo scriptum est: *Qui docet hominem scientiam*: ita etiam scriptum est: *Caritas ex Deo est*.

Cod. Can. cap. 112.  
Conc. Afr. cap. 79.  
De consecr. dist. 4. Quisquis dixerit.

1. Cor. 8.

Psal. 93.

1. Ioan. 4.

V.

Item placuit, vt quicumque dixerit ideo nobis gratiam iustificationis dari, vt quod facere per liberum iubemur arbitrium, facilius possimus implere per gratiam, tamquam, etiamsi gratia non daretur, non quidem facile, sed tamen possimus etiam sine illa implere diuina mandata, anathema sit. De

Cod. Can. cap. 113.  
Conc. Afr. cap. 80.  
De consecr. dist. 4. Placuit, vt quicumque dixerit.

fructibus enim mandatorum Dominus loquebatur, vbi non ait: Sine me difficilius potestis facere: sed ait: *Sine me nihil potestis facere.*

Ioan. 15.

## VI.

Cod. Can.  
cap. 114.  
Conc. Afr.  
cap. 81.  
1. Ioan. 1.

Item placuit, quod ait S. Ioannes apostolus: *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est*: quisquis sic accipiendum putauerit, vt dicat, propter humilitatem oportere dici, nos habere peccatum, non quia vere ita est, anathema sit. Sequitur enim Apostolus, & adiungit: *Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis est & iustus, qui remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate.* Vbi satis apparet, hoc non tantum humiliter, sed etiam veraciter dici. Poterat enim Apostolus dicere: *Si dixerimus quia non habemus peccatum, nos ipsos extollimus, & humilitas in nobis non est*: sed cum ait: *Nos ipsos decipimus, & veritas in nobis non est*, satis ostendit, eum qui se dixerit non habere peccatum, non verum loqui, sed falsum.

Ibidem.

## VII.

Cod. Can.  
cap. 115.  
Conc. Afr.  
cap. 82.  
Matth. 6.

Item placuit, vt quicumque dixerit, in oratione dominica ideo dicere sanctos: *Dimitte nobis debita nostra*, vt non pro seipsis hoc dicant, quia non est eis iam necessaria ista petitio, sed pro aliis qui sunt in suo populo peccatores: & ideo non dicere vnumquemque sanctorum: *Dimitte mihi debita mea*, sed: *Dimitte nobis debita nostra*, vt hoc pro aliis potius, quam pro se iustus petere intelligatur, anathema sit. Sanctus enim & iustus erat apostolus Iacobus, cum dicebat: *In multis enim offendimus om-*

Iacob. 3.